



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In
Collegio Romano Eivsdem Societatis olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis. Disputationes
Scholasticæ De Incarnatione Dominica**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1653

Disputatio XXI. De scientia acquisito Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81011)

dicent, scientiam infusam Christi ex se fuisse etiam discursivam quoad aliqua obiecta.

78
Probatio au-
toris.

Ceterum ex alio cepit argui potest ex nostris principiis, quae posuimus in materia de fide, ut probetur, Christum non potuisse discurre, si admittas ipsum cognoscere omnia possibilia per cognitionem quidditativam; quia intuitio perfecta obiecti in se ipso non videtur stare posse cum cognitione discursiva, & mediata. ut ibi dixi, sicut enim visio perfecta Dei non stat cum fide, quia testimonium extrinsecum non mouet ad assentiendum obiecto perfecte viso, ita nec vllum aliud medium videtur mouere posse ad assentiendum propter ipsum obiecto aliunde viso perfecte in se ipso; ergo si Christus perfectissime intuebatur futura omnia, si cognoscebat item quidditatiue in se ipsis, & comprehensiuè omnia possibilia, non poterat inuestigare eorum notitiam per aliquod medium, quia intellectus non quatit notitiam obiecti per medium, quando adest perfecta ipsius comprehensio, sicut voluntas non potest eligere medium ad finem, quem perfecte possidet.

Hæc ratio sanè si probat de scientia infusa, probat etiam de acquisita, imò magis, quàm de infusa, quod nec per eam Christus discurret, quia de omnibus fere obiectis scientia acquisita habebat intuitionem, vel cognitionem quidditativam perfectissimam per scientiam beatam, vel infusam. Quod verò attinet ad scientiam infusam posset aliquis negare extendi ad omnia possibilia in se ipsis; & ita defendere potuisse discurre quoad alia, quæ non cognoscebat quidditatiue. Si verò admittatur extendi ad omnia possibilia; manet difficultas communis utrique scientiæ, acquisitæ, & infusæ an discurrent? & ideo melius examinabitur disputatione sequenti. Si enim dixerimus, Christum per scientiam acquisitam non discurre proprie; à fortiori negabitur de scientia infusa.

79
Difficultas
tertia.

Tertia difficultas erat, an Christus ad vsum huius scientiæ indigeat apprehensionibus. Et hæc etiam est questio communis animæ separata; si enim hæc, vel etiam Angelus indigent apprehensione prævia ad iudicium, idem dicendum erit de Christo per scientiam infusam, vel è contra. Mihi verissimile est, ad cognitiones, quas Angeli habent per species proprias intuitivas, vel quidditativas, non supponere apprehensiones: sicut nec beatus ad visionem Dei, licet hæc etiam sit iudicativa cognitio. Posset tamen dubitari, an casu quo ad vsum scientiæ infusæ exigenter præviæ apprehensiones, fierent ab habitu infuso; an sufficerent naturales? Ex dictis autem videtur sequi, esse supernaturales; cum enim species fuerint supernaturales, à fortiori dicendum videtur idem de apprehensionibus, præsertim quod species supernaturalis non poterat producere apprehensionem naturalem in sententia, quam docui in Philosophia, quod cognitio dependet se ipsa formaliter à suis principiis, & non per actionem distinctam; tunc enim apprehensione illa se ipsa dicit ordinem ad hanc speciem supernaturalem, à qua pendet, & per consequens se ipsa est supernaturalis.

80
Difficultas
ultima.

Ultimò dubitatur, an omnes actus huius scientiæ sint certi? Affirmant aliqui, quia sunt supernaturales. Sed hæc ratio non videtur effi-

cax, quia esto, quod non possit esse cognitio supernaturalis fallax; fortasse tamen aliquis dicit non repugnare cognitionem probabilem supernaturalem; non quidem probabilitate proveniente ex periculo falsitatis, sed ex formidine aliqua, qua intellectus assentiatur tali obiecto, sicut potest esse amor inefficax supernaturalis ex infirmitate voluntatis, & sicut Salas cum aliis tom. 2. in 1. 2. tractatu 11. disp. 3. n. 34. & 50. dicit, virtutem prudentiæ non posse habere actum falsum, bene tamen actum probabilem. Ratio ergo efficax desumenda est ex imperfectione cognitionis probabilis, quæ videtur non decere Christum; & quidem ex hoc capite non minus repugnat Christo cognitio naturalis, quàm supernaturalis non certa: idèd examinabitur melius disputatione sequenti; si enim non fuit in Christo cognitio naturalis incerta, multò minus supernaturalis. Mitto alias questiones, scilicet, an hæc scientia componat, & diuidat, & alias similes; hæ enim definiendæ sunt iuxta naturam animæ separata; quæ si habeat talem modum cognoscendi, eundem debet habere scientia infusa Christi, iuxta supradicta.

DISPUTATIO XXI.

De scientia acquisita Christi.

SECTIO I. An, & ex quo tempore habuerit Christus scientiam acquisitam?

SECT. II. De obiecto scientiæ acquisitæ.

SECTIO III. Qualis fuerit scientia acquisita Christi?



PELLAMVS nunc scientiam acquisitam, non quia Christus de facto eam acquisiuit, (hoc enim postea veniet in questionem) sed quia talis erat, ut per se loquendo, posset acquiri sine infusione; & de hoc tria possunt dubitari, an scilicet & ex quo tempore fuerit in Christo? Item, de quibus obiectis? Denique qualis fuerit hæc scientia.

SECTIO I.

An, & ex quo tempore habuerit Christus scientiam acquisitam?

PRÆTER scientiam infusam, & beatam, de quibus agimus, habuisse Christum scientiam similem nostræ concors est Theologorum sententia cum S. Thom. supra quest. 9. art. 4. desumitur ex Paul. ad Hebræos 5. didicit ex his quæ passus est, obedientiam, hoc est, per experientiam non modò cognouit obedientiæ vim, iuxta communem interpretationem illius loci. Item ex Isaia 8. Antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, &c. iuncta etiam explicatione Ambrosii lib. de Incarnat. Dom. Sac. c. 7. & ex illo Luc. 2. proficiebat sapientia, & ætate, & gratia, quod de augmento reali scientiæ, sicut & ætatis, intelligunt plures PP. apud Maldon. ibi num. 40. Et licet illa verba habeant aliam interpretationem, semper tamen

tamen stat testimonium eorum Patrum firmum, qui omnes sentiunt, dari in Christo scientiam capacem augmenti, & similem nostræ. Vide etiam plures PP. apud Vasquez in præsentis *disput. 55. cap. 2.* Ratione item constat; quia hæc scientia non repugnat vnioni hypostaticæ, & aliunde est perfectio naturæ humanæ, item consequitur necessitudo ad actus sensuum exteriorum, quos Christus habebat; quia visio externa obiecti transmittit speciem ad sensum internum, & hinc ducitur notitia ad intellectum, qui ex phantasie operatione excitatur ad cognoscendum idem obiectum; ergo sicut Christus debuit per visum corporeum videre obiectum præsens, sic per intellectum illud debuit humano modo intelligere.

Dices, subsistentia creata est perfectio naturæ; & tamen posita subsistentia diuina, impeditur creata, quia iam esset superflua; ergo licet scientia acquisita sit perfectio naturæ humanæ; debuit tamen impediri posita scientia infusa, quia iam esset superflua, cum totum illud obiectum melius, & perfectius intelligatur per scientiam infusam.

Respondendo, subsistentiam creatam impediri per vnionem hypostaticam, non ideo præcisè, quia esset superflua, sed quia subsistentia Verbi repugnet contrariè; & in sententia nostra contradictoriè cum subsistentia creata, quia nimirum humanitas habet à Verbo subsistere in Verbo, hoc est, non subsistere in se, sed extra se, & in alio; sistere autem in se, & sistere in alio opponuntur. At verò scientia infusa non dat effectum formalem contrarium scientiæ acquisitæ, nec superfluit hæc, quia dat notitiam eiusdem obiecti diuerso modo; scilicet per species sensuum, & modo connaturali.

Hoc ergo supposito, dubium est, an hæc scientia data fuerit Christo ab initio suæ formationis an postea temporis decursu fuerit acquisita.

P. Suarez in præsentis, *disput. 30. sect. 1. & 2.* docet, fuisse à primo instanti suæ conceptionis infusam per accidens; quia quidquid Christo debebatur in statu beatifico, habuit ab initio, vt sæpe diximus, excepta impassibilitate, quæ impediēbat opus redemptionis; huiusmodi autem scientia debebatur animæ beatæ, quia anima beata potest intelligere independentem à sensibus per species inditas à Deo, sicut anima separata; ergo has species ordinis naturæ, & hunc modum cognoscendi habuit Christus à primo instanti.

Hæc ratio manifestè ostendit, Patrem Suarez loqui de alia scientia, de qua non est nobis sermo in præsentis, scilicet de scientia propria animæ separatae, de qua iam supra diximus, dari in Christo naturalem, & supernaturalem à primo instanti suæ conceptionis, & per illam potuisse operari in somno, & in infantia, & cognoscere substantias in se ipsis, & per species quidditativas, & proprias. Nunc autem quæstio est de scientia simili nostræ, per species alienas, quæ non repræsentent substantias spirituales, nisi ad modum rei materialis, de qua P. Suarez non videtur satis exprimere suam mentem, quia confundit passim scientiam acquisitam cum scientia animæ separatae.

Alij ergo plures, quos refert & sequitur Vasquez, Card. de Lugo de Incarnat.

quez in præsentis *cap. 2.* negant, hanc scientiam fuisse inditam per accidens Christo, quia huiusmodi cognitio talis est, vt dependeat ab operatione phantasie; ita vt quo organum phantasie melius disponitur, eo sit cognitio intellectualis perfectior & læso organo, turbetur etiam rationis vius, & impeditur organo per somnum, impediatur etiam intellectus; ergo Christus in infantia, vel in somnis habuit etiam huiusmodi impedimentum. Verum hæc ratio probat ad summum non fuisse inditam Christo eam scientiam, donec habuerit organum phantasie benè dispositum; cur tamen non potuit infundi tota simul in ætate virili, vel adolescentia, sicut Adæ vel Salomoni?

Alij dicunt habuisse Christum à primo instanti species, & habitus huius scientiæ, non tamen vsum, donec vel obiecta occurrerent, vel organa temperarentur. Sed hoc non videtur satis consequenter dici. Nam sicut cognitio actualis intellectus pendet à cognitione phantasie; ita species intellectus à specie phantasie, & species phantasie à temperamento organi; ergo sicut negant, intellectionem actualē, debent negare species, & alia omnia ante organum dispositum. Item si necessaria erat præsentia obiecti ad cognitionem, vt quid præexistebat species? nam obiectum præsens posset illam producere magis connaturaliter.

Meam igitur sententiam in re hac, quæ non est magni momenti, per sequentes conclusiones explico.

Dico primò, Christus non habuit aliquo tempore scientiam similem nostræ independentem à phantasia, & per consequens, nec eam habuit perfectam in infantia, & quando organum non erat sufficienter dispositum. Hæc est P. Vasquez & aliorum quos affert, & probatur, quia Christus non habuit regulariter vllam operationem humanam, nisi dependentem ab organis, & dispositionibus connaturalibus, sicut alij homines, neque enim ambulabat, donec habuit in cruribus organa, & nervos bene dispositos; nec loquebatur in infantia, nec comedebat; antequam haberet dentes, &c. ergo nec habuit operationem humanam phantasie ante organum benè dispositum; ergo nec operationem humanam intelligendi, quia hæc tam pendet à phantasia, quàm phantasma ab organo disposito. Dixi, operationem humanam intelligendi, vt excludam scientiam beatam, & infusam, & connaturalem animæ separatae, hæc enim non erant operationes hominis, vt hominis, sed operationes animæ solius independentes omnino à materia.

Dices, Christus habuit ratione beatitudinis, quidquid beati habebunt post resurrectionem, excepta impassibilitate, vt sæpe diximus; sed beatus vitur independentem à phantasia, speciebus acquisitis in via; ergo Christus poterat etiam independentem à phantasia vti speciebus scientiæ acquisitæ. Minor probatur, quia anima beati, licet in resurrectione vnatur corpori, non tamen pendebat à corpore magis, quàm antea; sed ante vnionem poterat vti speciebus acquisitis in corpore, vt concedunt communiter Theologi apud Salas Salas.

1. tomo in 1. 2. tractatu 2. disputat. 6. sect. 8.

D d 2 ergo

Vasquez.

5
Sententia
Auctoris.
Pronunciatur
primum.

Vasquez.

6

Eusebio.

ergo & post vnionem poterit similiter.

Excluditur.

Respondetur, concessa maiori, & minori, negando consequentiam, quia hæc dependentia intellectus à corpore, & eius organo pertinet ad passibilitatem, quam Christus retinuit. Nam sicut anima beata potest propria virtute eleuare corpus suum per aërem, & tamen anima Christi non mouebat corpus regulariter, nisi dependenter ab organis, & dispositionibus; ita licet anima beata possit independentem à phantasia vti speciebus acquisitis; anima Christi non utebatur sic iis speciebus, sed cum fatigatione capitis, & labore, sicut nos; hoc enim pertinebat ad passibilitatem assumptam pro nobis.

6
*Pronunciatiū
secu. adu.
Suarez.*

Dico secundò, verisimile est, Christum in adulta ætate accepisse per accidens infusam à Deo speciem rerum similes nostris. In hoc conuenio cum P. Suarez, & multis aliis recentioribus, quibus durum videtur, Christum solum habuisse scientiam acquisitam rerum occurrentium. Moueor autem, quia omnis perfectio aliorum hominum concedenda videtur abundantius Christo. Habuit autem hanc perfectionem Adam; habuit Salomon, habuerunt plures Prophetae, quibus res futuræ, & absentes monstrabantur cum propria figura, & conditionibus, sicut si essent præsentibus; ergo credibile est, Christum habuisse etiam eiusmodi speciem à Deo inditam; alioquin de paucis obiectis, & de his non nisi longo acquisitam tempore haberet Christus huiusmodi scientiam, vt latè probat Suarez *in præfati.*

Effugium.

Dices, huiusmodi species magis pertinent ad scientiam per se infusam, quam ad acquisitam; essent enim independentes à sensibus.

7
Enervatur.

Sed contrà, quia præter species scientiæ infusæ potuerunt esse aliæ similes nostris: pro quo aduerte, ex præsentia obiecti cogniti per sensum externos generari in phantasia, & in intellectu species eiusdem obiecti, qualiter per sensum percipitur, v. g. albedinis, vel caloris, & hæc species interior potuit à Deo produci, licet obiectum non perciperetur à sensu externo: sic enim aliqui in extasi imaginantur figuras, & colores; ac si eas viderent; imò & animæ separatæ aliquorum, qui post mortem redierunt ad vitam, per huiusmodi species cognouerunt in statu separationis res inferiores, vel cælestes; postea enim dicebant, se vidisse serpentes, flumina, flores, lapides pretiosos, &c. vt supra diximus; quia nimirum ea omnia cognoscebant per species similes nostris, & cum ordine ad sensum externos, non enim cognoscebant substantias in se ipsis, vel spiritus, sed figuram, colorem, &c. & hæc omnia quasi per sensum apprehensa; quare illæ species non sunt species Angelicæ, vel animæ separatæ: Angelus enim non cognoscit calorem, sicut nos cum ordine ad tactum, quo eius vim experimur, nec saporem cum ordine ad gustum quo eum gustamus, sed cognoscit hæc aliter, & independentem à sensibus. Censeo ergo, species infusas Adæ, & Salomonis, & regulariter omnibus Prophetis non fuisse similes Angelicis, vel speciebus animæ separatæ, sed similes nostris, & cum ordine ad sensum; licet per accidens inditas sine sensibus: alioquin potuisset Salomon in somno operari, & intelligere, sicut in vigilia,

quod nemo concedit; vt videre est apud nostrum Pinedam *de rebus Salomonis lib. 3. cap. 10.* vbi etiam concedit, fuisse species naturales, & dependentes à phantasia, & huiusmodi etiam species potuit accipere Christus de obiectis, quæ ad eius sensum non venient.

Dices, scientia nostra fundatur in experientia sensuum: scientia Salomonis, vel Adæ non fundabatur in experientia, cum non esset per sensum; ergo non poterat esse scientia similis nostræ.

Respondetur, fuisse similem quoad modum apprehendendi dependentem à phantasia, per species alienas, & cum ordine ad sensum; non tamen quoad rationem formalem assentiendi saltem in omnibus. Censeo enim, sapientiam Salomonis partim fuisse facilitatem quandam ad prudenter iudicandum de rebus occurrentibus, & ad discurrendum circa obiecta propostita; quod oriebatur tum ex organis optimè dispositis; tum ex optima aptatione, & dispositione specierum; tum potissimum ex Deo optimè excitante species in omnibus occasioibus; nam sicut donum Dei est, quando occurrit negotium dubium, excitare mihi speciem remedij oportuni, ita erat donum Dei excitare frequenter species Salomonis de medijs aptis, de illationibus ex præmissis, & de alijs huiusmodi, & quoad hæc scientia Salomonis erat similis nostræ; excedebat tamen quoad extensionem, & frequentiam ex peculiari assistentia Dei. Præterea dedit Deus Salomoni species nouas internas aliorum obiectorum, quæ nunquam fuerat expertus, verbi gratia, herbarum, animalium, &c. Quas saltem species debemus concedere in Adamo, sed cum ordine ad sensum modo explicato, & per has species contemplabatur interius res naturales, & earum operationes; non tamen assentiebat ex nostro motiuo, scilicet ex experientia, falleretur enim, cum verè non experiretur, nec sentiret ea, quæ interius sibi videbatur sentire; sed prudenter iudicabat, eas esse rerum naturas, ductus auctoritate diuina, cuius magisterium experiebatur per illas visiones internas; sicut etiam Propheta videns per visionem imaginariam ignem futurum, vel quid simile quasi præsens; non iudicabat de veritate obiecti, propter motiuum experientiæ, sed propter auctoritatem Dei, cuius testimonium existimabat esse illam visionem imaginariam. Sic ergo de sapientia Adæ, vel Salomonis crediderim, qui idem forsitan se vocat Dei discipulum, *Sapient. 7.* dum dicit, *In manu illius nos, & omnes sermones nostri,* scilicet in magisterio, prouidentia, & disciplina Dei omnes sermones nostri, vt explicat Pineda *vbi supra, c. 11. & 12.* quia nimirum sicut Magister excitat, & componit species discipuli, vt discurrat circa ea ipsa, quæ videt; ita Deus excitabat, & dirigebat apte species Salomonis. Item sicut Magister plura docet discipulum, quæ quidem discipulus credit auctoritate Magistri (addiscentem enim oportet credere) ita Deus plura docuit Salomonem, quæ Salomon prudenter iudicabat ex motiuo magisterij diuini.

Hinc infero primò, scientiam hanc per accidens infusam Christo Domino partim conuenire cum scientia Salomonis, & Adæ, & partim

non differre. Conuenit quidem, quia utraque fuit cum ordine ad sensus, & per species alienas, & dependens à phantasia, ut diximus, nec oppositum tenet S. Thom. in præfenti, q. 13, art. 1. ad 1. dum dixit, Christum per hanc scientiam comprehendere cælos: non enim vult terminari ad substantiam cæli in seipsas quod requiritur ad veram comprehensionem, sed loquitur de comprehensione impropria, qualis potest haberi per species alienas; ideo non dixit comprehendere simpliciter, sed comprehendere per modum prædictum, scilicet quantum fieri potest per cognitionem humanam. Differt verò scientia Christi à scientia Salom. vel Adæ, quia licet Christus quoad ea obiecta, quæ ex connexionem terminorum constabant, habuerit idem motuum assentiendi, quod Salomon, v.g. huic principio, *rotundum est maius sua parte, quodlibet est, vel non est*, & aliis huiusmodi; circa ea tamen, quibus Salomon assentiebatur propter testimonium Dei docētis, non potuit Christus habere hoc motuum, cum non potuerit habere actum fidei, propter intrinsecam eius imperfectionem. Qualiter verò scientia acquisita Christi terminata fuerit ad huiusmodi obiecta, dicemus *sest. 3.* Differt etiam, quod Salomon ex vno principio inferebat plurimas conclusiones, excitante Deo species, & dirigente mentem ad apte discurrendum; Christus verò licet ex eadem Dei directione, & excitatione specierum cognosceret euidenter illationes earum conclusionum, & apprehenderet eas omnes, & iudicaret de earum consequentione, forsitan non assentiebatur in actu exercito conclusionibus propter præmissas, ut dicemus etiam *sestione tertia.*

Infero secundò, intra seriem huius scientiæ habitare per species alienas, & dependenter à phantasia, habuisse Christum actus etiam supernaturales entitatiue, sicut intra seriem scientiæ independentis à phantasia: nam sicut in ea serie habuit ordinem supernaturalem, quia ille ordo, iuxta exigentiam gratiæ, erat proportionatus cum modo connaturali cognoscendi animæ separatæ, qui erat debitus Christo ut diximus *disputatione præcedenti, sestione prima*, sic etiam debuit habere cognitiones supernaturales proportionatas cum modo humano cognoscendi, quem habebat dependenter à sensibus, ut diximus *latè, dicta sest. 1.* ubi etiam monui, hanc non debere appellari in nobis scientiam infusam simpliciter; nam licet sit supernaturalis, acquiritur tamen eius species labore, & exercitatione.

Dico tertio non fuerunt inditæ simul huiusmodi species Christo Domino, sed successiue, sicut successiue organa phantasiæ melius disponebantur ad eas recipiendas. Hoc videtur non pugnare cum S. Thoma, qui *art. 1. ad 2. & 2.* solum contendit, Christum successiue profecisse in hac scientia vsque ad tempus perfectæ ætatis, in quo sciuit omnia. Ratio autem est, quia organa corporea paulatim, & successiue disponuntur prius ad vsum rationis circa obiecta magis sensibilia; deinde circa minus sensibilia, ut quotidiana experientia docet in pueris, & adolescentibus; ergo credibile est, species horum obiectorum non fuisse inditas Christo, nisi ex ordine, quo organum dispositum

Card. de Lugo de Incarnat.

tum erat; ita ut in qualibet ætate haberet Christus scientiam rerum omnium, quæ in ea ætate esse poterat. Hoc enim pacto soluitur ex vno capite, Christum verè profecisse in hac scientia, & aliunde non fuisse vnquam in ea dispositione; secundum quam posset aliquid ab hominibus, vel etiam Angelis addiscere, cum semper haberet scientiam pro eo tempore sibi conuenientem, & possibilem.

Obiicies primò, tam pender, connaturaliter loquendo species phantasiæ à sensatione externa, ut generetur, quam à temperamento organo; de facto autem species internæ fuerunt inditæ Christo sine sensatione externa, ut concessimus; cur ergo negamus, fuisse inditas, nisi in organo temperato.

Respondeo negando maiorem: non enim tam pender species phantasiæ à sensatione, quam à temperamento; nam ab illa pender solum in primo fieri, ab hoc verò in fieri, & in perpetuo vsu. Nec nouum est, Deum supplere causam necessariam ad generationem, non tamen dispositiones requisitas. Sic dedit Christo scientiam perfectam linguarum sine Doctore alio vel experientia; non tamen habuit Christus vsum linguæ, quando organum non erat expeditum, ut in somno. Item suppleuit Deus influxum viri in Christi generatione; non tamen voluit fieri, nisi in materia organizzata, & perfecte disposita sic etiam in præfenti suppleuit influxum, & præfentiam obiecti, in productione specierum, quod habet se instar viri respectu potentiæ, non tamen voluit, generari species, nisi in organo bene disposito. Ex quo exemplo sumitur ratio congruentiæ, quia nimirum non decebat, Christum generari ex congressu viri; decebat tamen seruari leges naturæ in organizatione, & dispositione materiæ: sic etiam non decebat, Christum instrui speciebus ab homine, vel ab Angelo, decebat tamen seruari leges naturæ in vsu specierum, quoad organizationem, & dispositionem requisitam, & ne Christus haberet infantiam, & pueritiam simultam specie tenus, si ante perfectam ætatem habuisset perfectum vsum huius scientiæ, sicut in ætate virili.

Obiicies secundò, ergo intellectus agens fuit otiosus in Christo, ipsius enim munus est abstrahere species à phantasmatibus; quas tamen Christus habuit à Deo inditas.

Respondeo, non fuisse otiosum, quia in primis Deus solum indidit immediatè species phantasiæ, ex quibus intellectus agens abstraxit suas species sicut in nobis. Præterea quotidie ex sensuum operatione abstraxit nouas species experimentales, ut postea dicam.

Petes, an acceperit Christus in ætate perfecta species rerum omnium, quas postea decursu temporis cognoscit per hanc scientiam.

Respondeo negatiue, quia cum ea obiecta, quæ per æternitatem cognoscuntur, sint infinita, species deberent esse infinitæ; non enim potuit esse vna species omnium; quia ea species non esset similis nostris, quales debent esse species huius scientiæ, prout supra notauimus, infinitæ autem non possunt simul esse, credibile ergo est, eiusmodi species infundi eo ordine quo res ipsæ incipiunt existere.

Dico quartò, Christus per quotidianam rerum experientiam proficiebat etiam realiter in scientia

D d 3 tia

tia acquisita, accipiendo novas species obiectorum, quæ sensibus experiebatur. Hæc est communis non solum Theologorum, sed Patrum etiam, quos plures affert Maldonatus super illa verba Luc. 2. *proficiebat sapientia, & ætate*, n. 40. nam licet ex iis verbis efficaciter non probaretur reale augmentum in scientia; Patres tamen prædicti verè supponunt reale augmentum, cum de eo prædicta verba intelligant. Vide etiam Patres plures apud Vasq. *disp. 5. c. 2.* qui ad minus de scientia experimentalis sunt intelligendi; in quo etiam sensu dicitur Christus didicisse obedientiam *ex his quæ passus est & alia eiusmodi.*

Ratione item probatur, quia sensus externi Christi percipiebant obiecta proposita, ut constat passim ex euangelio; ergo transmittabant species ad sensum internum; & hinc ad intellectum ministerio phantasmatum; ex quibus oriebatur scientia experimentalis.

Petes, in quo differt hæc scientia experimentalis caloris v. g. in Christo à scientia per accidens infusa quam diximus conclusionem secundam habere de calore.

Respondéo, differre in eo quod hæc scientia experimentalis terminatur non solum ad calorem, sed etiam ad sensationem caloris, quam Christus habuit; itaque cognoscit calorem, ut reuera experientia perceptum.

Dices etiam scientia per accidens infusa percipit calorem cum ordine ad sensationem, ut supra diximus; est enim scientia caloris diuersa à scientia, quam habet Angelus, quia est scientia caloris, ut immutantis tactum, & cum ordine ad sensum, quem immutat; ergo non differt à scientia experimentalis.

Respondéo, negando consequentiam; quia scientia per accidens infusa non terminatur ad sensationem Christi intuitiue, sed abstractiue, sicut etiam in absentia rerum formamus species earum, abstractendo ab existentia; at verò scientia experimentalis terminatur intuitiue ad sensationem Christi præsentem, & postea recordabatur Christus se habere sensationem talis obiecti, & ideo appellatur experimentalis.

Ex dictis infero primò, quid dicendum sit de habitu scientiæ acquisitæ. Cum enim in libris de anima dixerim, habitus acquisitos intellectus non esse nisi species bene coordinatas obiectorum, consequens est, ut quod de speciebus diximus de habituali scientia dictum intelligatur; videtur esse aperta mens S. Thomæ supra q. 9. art. 4. & q. 11. art. 6. ubi habitum, & species pro eodem omnino usurpat. Sicut ergo habuit Christus species similes nostris per accidens infusas, & alias etiam experientia acquisitas; ita dicendum est, habuisse habitus similes nostris per accidens infusos, & alios propria experientia acquisitos.

Infero secundò, quid dicendum sit de habitibus voluntatis: cum enim dixerim etiam in prædicto loco Philosophiæ probabile esse, facilitatem illam, quam experimur ad actus voluntatis, non distingui à speciebus, & experientia, quæ habitualiter manet in intellectu; consequens etiam est, quod eodem modo loquendum sit de habitibus voluntatis Christi, sicut diximus de intellectualibus. Habuit ergo Christus infusas per accidens virtutes morales similes nostris,

sicut habuit infusas per accidens species similes nostris; sed tamen in gradu excellentiori; habuit denique novam facilitatem experientia acquisitam, sicut habuit novas species experientiales, & hoc etiam sensu dici potest didicisse obedientiam, & alias virtutes, iuxta illud Pauli ad Hebræos 5. *tentatum per omnia pro similitudine absque peccato, ut misericors fieret.* Nec oportet ponere huiusmodi habitus virtutum acquisitarum infusos à primo instanti; cum toto illo tempore usque ad usum rationis naturalem essent otiosi, sed satis erit, ponere eos per accidens infusos à principio usus rationis, & quidem successiue, sicut diximus de speciebus, à quibus hi habitus probabiliter non differunt; & postea experientia ipso nouo modo auctos per aduentum specierum experimentalium. Videatur Salas 1. rom. in 1. 2. tractatu 2. disp. 7. sect. 11. n. 100. qui dicit, non loqui consequenter, qui negantes habitus scientiæ per accidens infusos à primo instanti ponunt has virtutes tunc per accidens infusas.

P. Suarez supra *disp. 19. in fine*, existimat, Christum exercitio actum non auxilium habitum vllum virtutis moralis; quia à principio habuit eas omnes in gradu heroico, supra quem non poterant actus quidquam addere, & quia alioquin fuisset facillior, & promptior ad vnam virtutem, quam ad aliam. Cæterum ne repetamus quaestiones philosophicas, demus habitus illos diuersos à speciebus, quos ponit P. Suarez, non potuisse augeri per actus. Cæterum nec ipse, nec alius negare potest, quin ex ipsis actibus relictæ fuerint novæ species experimentales, quibus Christus cognoscebat, quod exercuisset se in actibus misericordiæ, v. g. & delectationem maximam in eo exercitio fuisset expertus; quæ quidem experientia erat novum motuum inelligans ad misericordiæ actus, & non ad temperantiam, v. g. ergo potuit exercitio habere maiorem facilitatem in aliquo genere. Hanc igitur appello ego habitum; licet ergo Christus ab initio usus rationis acceperit facilitatem per accidens infusam ad omnes virtutes modo explicato, potuit tamen per experientiam ipsam habere novam facilitatem ad earum obiecta, quæ in mea sententia pertinet etiam ad habitus acquisitos.

SECTIO II.

De obiecto scientiæ acquisitæ.

Hæc quaestio ex supradictis breuiter determinari potest, supponendo, Christum per hanc scientiam non solum cognouisse vniuersalia, sed etiam res singulares, & indiuiduas, quia hæc etiam cadunt sub obiecto nostri intellectus, ut suppono ex Philosophia, & hoc supposito.

Dico primò, Christum cognouisse per hanc scientiam obiectum sensuum externorum: item substantias ipsas per species alienas; atque etiam substantias spirituales per species rerum materialium; sicut cognoscuntur à nobis, quibus Christus in hac scientia assimilatus est.

Aliqui dubitant de Angelis; an cogniti fuerint à Christo per hanc scientiam; quia nimirum lumen naturale non potest eorum existentiam, nisi probabiliter ostendere; Christus autem non habuit assensus probabiles.

Cæte

Ceterum hoc non probat non potuisse cognosci saltem per apprehensionem simplicem: deinde fortitan potest lumine naturali demonstrari possibilitas, seu non repugnantia Angelorum, licet non possit demonstrari existentia. Denique potuit audire à Deo, esse Angelos, non quidem per solam scientiam infusam independentem à phantasia, sed per cognitionem similem nostræ, quoad dependentiam à speciebus rerum materialium; & fortasse naturalem; ex quo non sequitur Christum habuisse actum fidei, ut postea dicam. Confirmarique potest, quia de facto dicitur Angelus apparuisse Christo confortans eum, Luc. 22. apparere autem est videri Angelum aliquo genere cognitionis, quo antea non videbatur; non fuit autem visus de nouo per scientiam beatam, vel infusam propriam animæ separatæ; per hanc enim semper cognoscebatur; nec dicitur vnus Angelus alteri Angelo apparere; ergo quia cognitus fuit per scientiam humanam habitam per species alias, & in specie corporea, vtnotauit noster Salmeron *tomio 10. super illa verba Luc. tracta- tu 14.*

16
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100
101
102
103
104
105
106
107
108
109
110
111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200
201
202
203
204
205
206
207
208
209
210
211
212
213
214
215
216
217
218
219
220
221
222
223
224
225
226
227
228
229
230
231
232
233
234
235
236
237
238
239
240
241
242
243
244
245
246
247
248
249
250
251
252
253
254
255
256
257
258
259
260
261
262
263
264
265
266
267
268
269
270
271
272
273
274
275
276
277
278
279
280
281
282
283
284
285
286
287
288
289
290
291
292
293
294
295
296
297
298
299
300
301
302
303
304
305
306
307
308
309
310
311
312
313
314
315
316
317
318
319
320
321
322
323
324
325
326
327
328
329
330
331
332
333
334
335
336
337
338
339
340
341
342
343
344
345
346
347
348
349
350
351
352
353
354
355
356
357
358
359
360
361
362
363
364
365
366
367
368
369
370
371
372
373
374
375
376
377
378
379
380
381
382
383
384
385
386
387
388
389
390
391
392
393
394
395
396
397
398
399
400
401
402
403
404
405
406
407
408
409
410
411
412
413
414
415
416
417
418
419
420
421
422
423
424
425
426
427
428
429
430
431
432
433
434
435
436
437
438
439
440
441
442
443
444
445
446
447
448
449
450
451
452
453
454
455
456
457
458
459
460
461
462
463
464
465
466
467
468
469
470
471
472
473
474
475
476
477
478
479
480
481
482
483
484
485
486
487
488
489
490
491
492
493
494
495
496
497
498
499
500
501
502
503
504
505
506
507
508
509
510
511
512
513
514
515
516
517
518
519
520
521
522
523
524
525
526
527
528
529
530
531
532
533
534
535
536
537
538
539
540
541
542
543
544
545
546
547
548
549
550
551
552
553
554
555
556
557
558
559
560
561
562
563
564
565
566
567
568
569
570
571
572
573
574
575
576
577
578
579
580
581
582
583
584
585
586
587
588
589
590
591
592
593
594
595
596
597
598
599
600
601
602
603
604
605
606
607
608
609
610
611
612
613
614
615
616
617
618
619
620
621
622
623
624
625
626
627
628
629
630
631
632
633
634
635
636
637
638
639
640
641
642
643
644
645
646
647
648
649
650
651
652
653
654
655
656
657
658
659
660
661
662
663
664
665
666
667
668
669
670
671
672
673
674
675
676
677
678
679
680
681
682
683
684
685
686
687
688
689
690
691
692
693
694
695
696
697
698
699
700
701
702
703
704
705
706
707
708
709
710
711
712
713
714
715
716
717
718
719
720
721
722
723
724
725
726
727
728
729
730
731
732
733
734
735
736
737
738
739
740
741
742
743
744
745
746
747
748
749
750
751
752
753
754
755
756
757
758
759
760
761
762
763
764
765
766
767
768
769
770
771
772
773
774
775
776
777
778
779
780
781
782
783
784
785
786
787
788
789
790
791
792
793
794
795
796
797
798
799
800
801
802
803
804
805
806
807
808
809
810
811
812
813
814
815
816
817
818
819
820
821
822
823
824
825
826
827
828
829
830
831
832
833
834
835
836
837
838
839
840
841
842
843
844
845
846
847
848
849
850
851
852
853
854
855
856
857
858
859
860
861
862
863
864
865
866
867
868
869
870
871
872
873
874
875
876
877
878
879
880
881
882
883
884
885
886
887
888
889
890
891
892
893
894
895
896
897
898
899
900
901
902
903
904
905
906
907
908
909
910
911
912
913
914
915
916
917
918
919
920
921
922
923
924
925
926
927
928
929
930
931
932
933
934
935
936
937
938
939
940
941
942
943
944
945
946
947
948
949
950
951
952
953
954
955
956
957
958
959
960
961
962
963
964
965
966
967
968
969
970
971
972
973
974
975
976
977
978
979
980
981
982
983
984
985
986
987
988
989
990
991
992
993
994
995
996
997
998
999
1000

Salomon habuit scientiam rerum naturalium, v. g. omnium plantarum, quæ sunt de factis ergo credibile est, Christum etiam in hoc genere scientiæ dependentis à phantasia, qualis erat scientia Salomonis habuisse notitiam aliorum entium possibilem; quia verè in omni genere sapientiæ, fuit plusquam Salomon hic.

Sed ex dictis oritur triplex difficultas.

Prima, si Christus hac scientia cognoscebat secreta cordium, res occultas, Angelorum existentiam, res denique possibles, quæ omnia non percipiebat sensibus; quomodo hac scientiam in seipsis, an in alio. Non in seipsis, quia non habebat speciem propriam eorum; cognoscebat enim ea per species alias, sicut nos; ergo cognoscebat in alio; in quo ergo? non enim videtur posse assignari obiectum proportionatum huic scientiæ, in quo hac cognosci possint.

Respondeo, potuit hac cognoscere, saltem in reuelatione Dei facta sibi, non per scientiam infusam, sed per cognitionem humanam, seu dependentem à phantasia, cuiusmodi sunt sæpe plures reuelationes.

Dices, ergo iam Christus hac omnia cognosceret per fidem.

Nego sequelam, quia Christus poterat cognoscere reuelationem, non tamen assentiri obiecto reuelato, in quo stat formaliter actus fidei, sed solum scire ea obiecta reuelari sibi, sicut *scitio- ne sequenti* dicemus, Christum pluribus obiectis non præstitisse assensum per scientiam acquisitam, sed solum iudicasse de illatione, & principiis cognitis.

Sed vrgebis, neque sciebat Christus per hanc scientiam euidenter, eam esse reuelationem Dei; quia non cognoscebat reuelationem in seipsa quidditatiuè, & perfecte.

Respondeo, saltem sciebat euidenter, dari motiua, quæ prudenter cogere ad credendum esse reuelationem Dei; itaque ad minus iudicabat Christus, esse motiua euidentis credibilitatis de tali obiecto, v. g. de tali cogitatione occulta Petri, & hoc est, scire aliquo modo per hanc scientiam, dari talem cogitationem in Petro: sicut hæreticus dicitur scire res fidei, licet eas non credat.

Secunda difficultas, an huiusmodi reuelationes fuerint naturales, vel supernaturales.

Respondeo breuiter, etiam si fuerint supernaturales, pertinent ad hoc genus scientiæ, quia fiebant per species similes nostris, & dependentes à phantasia. Addo tamen, potuisse esse naturales entitatiuè, quia etiam in ordine naturæ videtur, posse Deum, vt auctorem naturæ loqui, cum creatura rationali, & manifestare illi aliqua occulta, vel absentia; sine productione alicuius actus supernaturalis entitatiuè.

Tertia difficultas, an Christus per hanc scientiam cognosceret iam antea ea obiecta, quæ sensibus percipiebat, v. g. per visum, vel auditum.

Respondeo, non esse necesse, quod hac scientia semper præueniret sensuum operationes, potuit enim de facto aliqua obiecta Christus per sensus experiri; quæ prius per hanc scientiam non nosset, nec in hoc apparet aliqua imperfectio. Si verò sermo sit de obiectis, quæ

audiebat ab aliis hominibus, verius videtur, prius fuisse cognita per hanc scientiam. nam licet non idem forsitan diceretur Christus discere ab hominibus, quæ audiebat, si ea iam non cognosceret per hanc scientiam; discere enim, propriè loquendo, supponit ignorantiam talis obiecti, id est, nescire prorsus illud alia via, ut fatetur Vasquez *disp. 55. num. 17*. Christus autem ea omnia sciebat per scientiam beatam, & infusam; cæterum adhuc habebat aliquam speciem magisterij, si ea ipsa Christus non sciret iam per scientiam illius generis; dicendum ergo videtur, Christum, licet denuo cognosceret loquutionem hominum, quam audiebat; non tamen rem dictam; ut in hoc etiam sensu verum sit quod dicitur Ioann. 2. *opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat quid esset in homine*, scilicet per scientiam etiam, de qua loquimur, alioquin opus esset ei testimonium de homine, cognosceret illum per hanc scientiam.

Vasquez.

24
Difficultas
ex Luc. 22.
Contra hoc est vulgaris difficultas ex illo Luc. 22. ubi dicitur, Angelum de cælo apparuisse Christo confortantem eum, videtur enim hæc confortatio fieri non potuisse, nisi proponendo ei obiecta, & motiva quæ lenirent dolorem, & afferrent solatium: ergo ex loquutione Angeli didicisti ea obiecta; alioquin si Christus ea antea sciebat, videtur esse aliqua inconsiderantia, & inadærtentia, quod ipse ad ea tunc non attenderet, donec ab Angelo admonitus fuit.

Vasquez.

Confortandi
verbum.

P. Vasquez *disp. 56. cap. 2.* enixe contendit, Angelum, neque Christum villo modo instruxisse, nec ei vllam consolationem exhibuisse, sed confortasse in alio sensu, quatenus confortasse idem est, quod laudare, seu eius fortitudinem, & robur mirari; quam significationem ex scriptura & Patribus deducere conatur.

Conclusio au-
thoriz.

Ego magis assentior communi interpretationi, quam video esse sensum omnium fidelium existimantium, Angelum missum fuisse ad solatium Christi, alioquin nescio quem finem haberet eius missio, & apparitio in illa summa rerum perturbatione, & animi pressura: ut si hominem naufragum, & cum vndis maris luctantem laudares de ingenio, & animi dotibus: importunum sane munus obtulisses. Censeo ergo, Angelum ad solatium Christi venisse, non ad instructionem; potuit enim exhibere solatium multipliciter sine instructione. Primum per præsentiam, & compassionem eo modo, quo potest esse in beatis: solatium enim est miseris videre compassionem alterius; solatium etiam est, non esse vndique solum; Christus enim in medio noctis silentio discipulos saltem volebat sibi adesse socios, ipsi verò dormierunt, adfuit Angelus pro discipulis. Deinde solatium exhibuit, gratias agendo Christo pro passione, quam aggrediebatur; gaudemus enim videndo gratitudinem alterius pro iis quæ patimur; item laudando, & prædicando eius fortitudinem, ut volebat P. Vasquez; potuit exhibere solatium; lætificat enim laus nostra in ore alieno; & hoc ipsum erat solatium; quod non solum est afferre motiva ad ferendum dolorem, sed proponere obiecta gaudij;

gaudium enim de vno obiecto lenit dolorem de aliis: hæc autem obiecta non proponebantur Christo ab Angelo instruentem, sed ab Angelo laudante; gratias agente, præsentiam exhibente, ut Christus videns Angeli præsentiam, laudes, gratitudinem, de iis omnibus lætaretur. Denique aspectus pulcherrimus Angeli, splendor, gloria, Maiestas, magnopere potuit recreare sensus, & appetitum internum Christi, qui vndique obiectis terribilibus angebatur. Habuit ergo Angelum confortantem, & consolantem, ut Patres communiter docent, non tamen instruentem, vel docentem.

SECTIO III.

Qualis fuerit scientia acquisita Christi?

DE scientia Christi acquisita plura possunt dubitari. Potissima hæc sunt, an eius cognitio fuerit, vel potuerit esse falsam fuerit probabilis: an obscura? an discursiva? de quibus in hac sectione breviter dicemus.

Et quoad attinet ad primum, conveniunt Theologi, quod Christus non habuerit de facto errorem, neque etiam ignorantiam vllam, non solum eam, quæ vocatur prava dispositio, sed etiam quæ vocatur privatio, id est, carentiam scientiæ debitæ secundum statum, & conditionem præsentem, ita S. Thom. *in 1a quest. 15. art. 3.* & cum eo Theologi omnes. Videatur Suarez, *suprà disp. 24. sect. 3.* & Vasquez *infrà disp. 61. cap. 9.* ubi inuenies Scripturæ, & Patrum testimonia pro hac veritate. Ratione etiam constat primum, quia huiusmodi imperfectiones non inveniuntur in beatis, ergo neque in Christo. Item quia per scientiam beatam & infusam supernaturalem poterat impedire errorem, & eius periculum, si aliquando immineret ex sensibus, vel ex alio capite. Denique, quia si semel Christus deciperetur, mutaret eius auctoritas, & doctrina. Quod si Patres aliquando videntur tribuere Christo ignorantiam, vel dubitationem, loquuntur minus propriè de ignorantia, quantum est ex parte naturæ humanæ, nisi à Deo accepisset thesauros scientiæ; vel de ignorantia in suis membris, ut dixit Augustinus, vel gessisse se instar ignorantis, vel dubitantis. Vide Patrum loca apud prædictos auctores. Nec obstat, quod per sensus perceperis aliquando obiectum imperfectè, v. g. cum pavilum apparebat obiectum minus, quia erat longè distans. nam ille non est error, sed imperfectus modus percipiendi, qui consequitur sensus humanos.

Difficilius est, an de potentia absoluta potuerit habere errorem iudicij humanitas assumpta à Verbo.

Negant omnes de errore culpabili. De inculpabili verò etiam speculatiue negat P. Suarez *ubi suprà dicta sect. 3.* & probat auctoritate Anfelmii *lib. 2. cur Deus homo c. 13.* ubi negare videtur etiam de possibili errorem, vel falsitatem in natura assumpta.

Opposita sententia communis est, & verior, quam post alios tuetur Vasquez, *ubi suprà*, & nostri recentiores, non solum loquentes de habitu inclinante ad falsitatem (in quo nulla est diffi-

difficultas) sed etiam de actu falso sine culpa, quia totum malum ibi repertum est malum peccati. & sicut potuit Deus assumere naturam beati cum suis imperfectionibus, & per consequens cecitatem talpæ, stoliditatem naturalem asini, & his similia, cur non potuit assumere naturam rationalem inculpabiliter deceptam. Nec obstat Anselmus, qui, ut notauit Vasquez, non solum negat errorem, sed etiam ignorantiam priuatiuam: quare explicandus est, non de possibili, sed de facto, nec eius rationes intendunt.

Sed tamen obijciunt primò; quia si possibile esset error etiam inculpabiliter in natura assumpta; non ergo haberet infallibilitatem eius doctrina, possent enim homines formidare, quod erraret. Consequens autem videtur absurdum, quia natura assumpta est organum Dei ad loquendum cum hominibus.

Respondetur, in primis potuisse illam naturam habere infallibilitatem in docendo, non tamen in sentiendo; quare si aliquando ipsa inculpabiliter deciperetur, Deus posset impedire ne errorem suum doceret; sicut de Summo Pontifice dici solet.

Deinde cur non posset humanitas illa loqui aliquando nomine proprio, quin illa esset loquutio nature diuinæ formaliter loquendo.

Dices; si homo ille erraret, deciperet Verbum alios homines, quod est valde indecens.

Respondetur, deciperet materialiter ex communicatione idiomatum, concedo, deciperet formaliter, nego: decipere enim proprie est scienter dicere falsum, ita ut eadem natura sciat falsitatem, & dicat illam: tunc autem licet Verbum secundum naturam diuinam scieret falsitatem; non tamen loqueretur, nisi secundum naturam humanam, quod sicut non sufficeret ad mendacium, ita nec ad decipiendum formaliter. Deceptio autem materialis non repugnaret Verbo; sicut etiam natura assumpta potuit esse offendiculum inculpabiliter alteri homini, ut caderet, & moreretur, sic etiam potuit esse inculpabiliter offendiculum, ut intellectus alterius erraret, & laberetur.

Vergebis, ergo de facto Christus ut homo non habuit infallibilem auctoritatem in docendo ratione vnionis.

Respondetur ratione vnionis præcisè, transeat, ratione vnionis, & simul muneris Doctoris, & Magistri, quod congruentissimè ad vnionem dedit illi Deus, nego. De facto enim dedit illum Deus lumen ad reuelationem gentium, & in Magistrum, & lucem omnium, ideo de facto non potuit docere aliquid falsum, ut constet, & hoc totum prouenit radicaliter ab vnione à qua fit, ut natura assumpta non possit scienter sumere tale munus docendi, nisi ad hoc peculiariter moueatur à Deo.

Obijciunt secundò: Error licet formaliter non sit peccatum, est tamen talis imperfectio nature rationalis, ut non possit admitti voluntarie in natura propria sine aliquo peccato: quare sicut voluntas tenetur cohibere motus inordinatos appetitus, ne infurgant, si commode potest, ita videtur teneri cohibere intellectum ne erret, si commode potest; ergo Verbum diuinum, cui ratione vnionis incum-

bit gubernatio nature humanæ, debet etiam cohibere eam ne erret; alioquin imputabitur ei ad culpam ille error.

Respondetur transeat, errorem habere aliquam malitiam obiectiuam: ceterum assero errorem secundum se non habere istam malitiam, sed errorem voluntarium. Sicut mors, vel amentia, quæ quidem secundum se non habent malitiam moralem etiam obiectiuam, sed solum ut voluntarie ortæ ab ipso homine, qui se in mortem, vel amentiam dedit. Ad hoc autem non sufficit voluntas eiusdem suppositi secundum aliam naturam, sed requiritur voluntas eiusdem nature: nam licet humanitas Christi non posset licitè se interficere, vel amentem reddere; Verbum tamen potuit licitè vtrumque facere circa humanitatem, ut constet. Sic etiam licet humanitas non posset licitè admittere errorem voluntarium. Verbum tamen potuit illum permittere, & velle; quia error inuoluntarius humanitati non habet malitiam moralem etiam obiectiuam magis, quam mors, vel amentia. An verò poterit etiam Verbum in natura assumpta permittere aliquid obiectiuè malum sine malitia formali, v. g. an poterit natura assumpta exercere mendacium vel vsuram; sine peccato tamen, quia non aduerteret ad malitiam eius actus: dicemus *disput. sequenti*.

Secunda difficultas erat, an fuerit in Christo cognitio probabilis.

Negant Theologi communiter, cum quibus Suarez ubi supra *disput. 3*. Nonnulli probant, quia iam Christus exponeretur periculo falsitatis.

Sed contra, quia sufficienter posset vitari hoc periculum per scientiam beatam, & infusam, qua caueretur assensus probabilis scientiæ acquisitæ, qui non esset futurus verus. Nec etiam obstat impossibilitas opinionis cum scientia eiusdem obiecti, nam, ut dixi in materia *de fide*, compatiuntur se hi actus etiam ex natura rei.

Ratio ergo petenda est ex intrinseca imperfectione assensus probabilis, qui propterea repugnat etiam Deo, & Beatis. hæc autem imperfectio videtur consistere in eo, quod intellectus ducatur fundamento infirmo ad iudicandum de obiecto, quod arguit imperfectionem, & naturam penuriam ipsius luminis.

Dices, hæc esset imperfectio, si Christus solum duceretur illo motiuo probabilis; ducitur tamen de facto aliis euidentibus, quid obstat, si ad maiorem abundantiam ducatur motiuo probabilis.

Sed contra, quia ille assensus probabilis formaliter loquendo, quantum est ex se, ita ducitur motiuo probabilis, ac si illi soli niteretur; (alioquin si ducitur indiuisibiliter motiuo complexo, ex probabilis, & euidenti non assentitur probabiliter, sed euidenter.) est ergo imperfectus modus iudicandi, ita adherere motiuo infirmo, ac si nulum aliud esset.

Tertia difficultas est, an habuerit cognitionem obscuram? Negant etiam communiter Theologi cum S. Thoma supra *quæst. 7. art. 3*. ubi negant, habuisse fidem. Ratio est communis Christo, & aliis Beatis, non quidem eo quod opponatur cum euidentia; (non enim opponitur saltem quoad assensus immediatos, ut dixi in materia *de fide*.) sed propter intrinsecam imper-

Solutio.

29

Difficultas

secunda.

Sententia

communis

negans.

Probat ali-

qui.

Improbatur.

Eiusde.

Remouetur.

30

Difficultas

tertia.

Scientia om-

nium negans.

S. Thom.

imperfectiorem quam habet cognitio obscura, ratione cuius repugnat essentialiter Deo.

Ducium.

Petes, per quam formam impediatur formaliter in Christo cognitio probabilis, vel obscura, siquidem formaliter non impeditur per scientiam?

Dissoluitur.

Respondeo, impediri radicaliter per unionem, quae exigit intellectum Christi valde perfectum: impeditur etiam magis proximè per statum beatificum, qui exulare facit illas imperfectiones à mente beati. Denique impeditur formaliter, & proximè per carentiam concursus, quem Deus non praestat intellectui beati ad eiusmodi actus.

*31
Difficultas
quarta.*

Quarta difficultas, an omnes Christi assensus habuerint evidentiam metaphysicam, an verò aliqui solum physicam? Evidentia physica vocatur, quae metaphysicè subest periculo falsitatis, verbi gratia, quando video hostiam, & nescio esse consecratam; iudico esse panem: quando experior calorem intensum approximato igne, iudico, procedere ab igne, cum tamen possit ab igne non provenire, sed à solo Deo.

Enodatur.

Aliqui dicunt, Christum habuisse hos assensus sine imperfectione, quia solum indicabat, hunc ignem calefacere, attenta rei natura; Verum si hoc solum dicebat, hic assensus non solum haberet evidentiam physicam, sed metaphysicam; videtur ergo communiter supponere, non habuisse assensum cum sola Physica evidentia, propter intrinsecam imperfectionem, quam haberet ille assensus ortam ex aliquo periculo falsitatis.

Obiectio.

Dices, hic & nunc cessare omne periculum, propter scientiam beatam, & infusam, quibus habebat evidentiam Metaphysicam de eodem obiecto.

Refellitur.

Sed contrà, quia semper maneret in assensu eadem imperfectio intrinseca, qui quantum est de se, & ex modo intrinseco assentiendi, habebat secum illud periculum: sicut diximus, non habuisse Christum assensus probabiles, quantumvis propter scientiam beatam posset non habere illos, nisi veros.

*32
Difficultas
ultima.*

Ultima difficultas, an Christus per hanc scientiam habuerit discursum formalem? De hoc tetigi in materia de fide, ubi ex communi sententia dixi, repugnare assensum fidei cum visione intuitiva, & perfectissima eiusdem obiecti; & addidi rationem à priori huius repugnantiae, quam experimur, provenire forsitan, ex eo quod intellectus non utitur medio ad cognitionem veritatis, quam perfectissimè possidet per assensum immediatum, sicut voluntas non eligit medium ad finem, quem perfectè possidet. Ex quo videtur sequi, Christum nunquam exercuisse discursum formalem circa aliquid obiectum; quia ea omnia perfectissimè intuebatur saltem per scientiam beatam, nisi velis dicere, divinitus factum fuisse, ut Christus simul cum visione uteretur discursu; sicut etiam simul cum gaudio beatifico habuit tristitiam; quod tamen non caret difficultate, tum quia repugnantia, si quae est, inter visionem & discursum, forsitan est eadem in ordine ad potentiam absolutam; sicut etiam repugnare videtur divinitus electio medij ad finem, quem perfectè

possideo: tum etiam, quia impertinens videtur illud miraculum, ut Christus de facto miraculose discurreret.

Dices, etiam videtur incredibile, Christum non exercuisse discursum; cum tamen fuerit rationalis, & discursivus.

Respondeo, etiam fuit risibilis, & nunquam risit, quia risus continet imperfectionem, quid mirum, quod non discurreret, si discursus continet imperfectionem? Adde, communiter negari Christo discursum circa probabilia, verbi gratia, quando aderant coniecturae probabiles, vel testimonium plurium hominum, qui aliquid testabantur; Christus cognoscebat evidenter probabilitatem obiecti, & bonitatem illationis; non tamen essentiebatur consequenti propter illa principia. Item ubi solum erat moralis, vel physica evidentia, Christus non discurrebat, ut fatentur communiter, sed cognoscebat evidentiam metaphysicam vim illationis, quid mirum, si etiam ubi esset evidentia metaphysica, cognosceret vim illationis, & praemissas, non tamen assentiretur vni propter aliud impedimentum visioni immediatae, quia videbat obiectum conclusionis? Nam ferè omnes occasionem discurrendi per scientiam acquisitam, essent circa materiam probabilem, vel evidentem, solum evidentia physica; & in his omnibus negatur discursus, quid mirum si in vna, vel altera occasione, quae raro solet contingere evidentiae metaphysicae, negetur etiam discursus, propter eius imperfectionem? praesertim cum plures Theologi communiter excludant à Deo discursum, non solum formalem, sed etiam virtuales, propter imperfectionem in eo imbitam. Denique dici potest, Christum non cognovisse etiam in Verbo omnia probabilia, & per consequens potuisse per discursum venire in aliquam illorum cognitionem, atque ideo non caruisse omnino actu discurrendi.

Dices iterum, si Christus non discurrebat regulariter; ergo per scientiam acquisitam non cognovit secreta cordium, vel probabilia; haec enim solum videtur potuisse scire per revelationem Dei, ut vidimus *sektione praecedenti*; ergo assentiebatur eis propter revelationem, qui assensus continet discursum virtuales.

Ad hoc iam dixi *sektione praecedenti*, Christum indicasse evidenter de revelatione, vel saltem de credibilitate revelationis, & ideo virtualiter scire veritatem obiecti revelati, licet non iudicet de illa formaliter per scientiam acquisitam, sed solum per scientiam beatam, vel infusam, qua cognoscit ea obiecta immediatè. Sicut B. Virgo dicitur existimasse filium esse in comitatu, licet id non iudicaverit in actu exercitio, (quia alioquin fuisset decepta,) sed solum probabilitatem illius: ita Christus dicitur cognovisse vnum ex aliis, quia iudicabat vnum contineri evidenter, vel probabiliter in aliis.

Vergebis adhuc, quia videtur, Christum non potuisse per scientiam acquisitam dirigi, nisi rarissime ad actus bonos morales eliciendos; quia honestas obiecti saepe saepius manifestatur per discursum; Christus autem non discurrebat; ergo per hanc scientiam raro cognoscebat honestatem obiecti, ita ut posset eam amare.

Respondeo, etiam si Christus discurreret, sed *ordinem* tamen

tamen tu concedis non discurrere circa obiectum probabile: honestas autem obiecti etiam videtur sepe sepius apparere probabiliter: nam licet euidenter appareat honestas misericordiae; ceterum, quod hic, & nunc hic homo habeat miseriam veram, plerumque apparet ex eius testimonio; vel aliis coniecturis, nec poterat Christus per scientiam acquisitam cognoscere intuitu & euidenter dolorem, vel agnitum internam huius miseri. Poterat ergo Christus habere iudicium reflexum, quo iudicaret hic, & nunc, attentis his circumstantiis, & probabilitate obiectiua, & petitione ipsius miseri, &c. honestum esse illi subuenire, qui assensus non erat mediatu, sed immediatus, & ex terminis, & sufficiens, ad hoc, quod voluntas operaretur.

Ultimo obicit, Christum per scientiam infusam cognouit Deum, vt diximus, *disputatione precedenti*, non Deum in se & immediate; ergo mediate, & in alio, nempe in creaturis, ergo etiam per scientiam acquisitam potuit cognoscere aliqua obiecta mediate per discursum saltem virtuale.

Respondeo, Christum, imò & Deum ipsum posse cognoscere vnum in alio, non tamen vnum ex alio. Prior cognitio non est discursiva formaliter, vel virtualiter, quia non assentitur vni propter aliud, sed solum cognoscit vnum esse terminum alterius, dicendo v. g. *creatura pendet à Deo*, vbi creatura cognoscitur directe, & Deus indirecte, sed sine discursu. Posterior cognitio est discursiva salte virtualiter, assentitur enim vni propter aliud dicendo, v. g. *Deus est, quia creatura pendet ab ipso*; tunc creatura est medium non solum in quo sed ex quo cognoscitur Deus, & hæc videtur repugnare cum visione perfectissima obiecti propter rationem supra indicatam.

DISPUTATIO XXII.

De passionibus animæ Christi.

SECTIO I. *An, & quomodo fuerint in Christo passionēs? vbi etiam, an habuerit tentationes, & pugnam internam?*

SECT. II. *De dolore, & tristitia animæ Christi.*

SECT. III. *De timore animæ Christi.*

SECT. IV. *De affectu admirationis.*

SECT. V. *De affectu iræ in Christo.*

MITTO questionem 13. S. Thomæ vbi agi solet de potentia animæ Christi, nihil enim continet dignum controuersia præter vulgarem illam questionem de potentia obedienciali actiua, an detur ad producendum physicæ effectus improporcionados, cui aprior locus est in materia de Sacramentis in genere, vel in tractatu de ente supernaturali. Omitto etiam questionem 14. de defectibus corporis, quos Christus assumpsit, vbi docet, assumpsisse corpus passibile, & eas passiones, quæ ad nostram redemptionem conducere poterant; non tamen eas, quæ indecentiam habent, vt ignorantiam, & morbum ex inordinatione prouenientem. Res tota est clara

apud S. Thom. Venio ergo ad questionem 15. de defectibus animæ, seu de passionibus animæ, quæ difficilius est.

Passiones in præsentī appellantur, non quidem alterationes quæcumque, quæ in subiecto recipiuntur, quæ solent dici passiones naturales, sed passiones, quæ dici solent animales, quæ sunt operationes animæ, & passiones dicuntur, quia causant commotionem, & passionem in corpore, vt iracundia, timor, &c.

SECTIO I.

An, & quomodo fuerint in Christo passionēs? vbi etiam, an habuerit tentationes, & pugnam internam?

HAS passiones fuisse in Christo, fidei dogma est. Colligitur enim ex Scriptura, in qua dicitur cōstitatus, & cœsus fuisse, gaudium etiam & alias passiones ostēdisse. Constat item ex Leone Papa Epist. 11. *sensu* (inquit) *corpore vigeant sine lege peccati, & veritas affectionū sub modamine deitatis, & mentis*. Et ex VI. Synodo, *actio- ne 2. & 8.* vbi eadem veritas definitur. Quam tradunt Patres, Damascenus 30. de fide, c. 20. Cyrillus lib. 10. *Theauri* c. 3. & alij passim.

Aliqui hoc dogma ita tradunt, vt dicant de fide esse, Christum habuisse passiones in appetitu sensitivo, hoc est, in potentia, à qua oriuntur affectiones sensibiles, ita Suarez *diff. 34. sect. 1. in principio*. Sed si nomine appetitus sensitui intel- ligat potentiam appetitiuam, elicituam actuum materialium distinctam à potētia voluntatis, non video, quomodo id sit de fide: nam loca omnia Scripturæ, quæ eos affectus Christo tribuunt, non explicant, eos actus fuisse materiales; imò plerique ex illis, debuerunt esse spirituales, quia verfabantur circa obiecta spiritualia, vt constabit ex locis postea afferendis pro singulis affectibus in particulari: & aliunde, non est de fide, dari talem potentiam materiale in homine diuersam à voluntate: nam omnes illæ operationes possent tribui voluntati operanti circa illa obiecta, secundum portionem inferiorem, quæ quatenus ducitur motiuis carnalibus appellatur appetitus carnalis; sic enim videntur operari infantes, non solum per appetitum materiale, sed etiā per portionem inferiorem voluntatis. Quamuis ergo existimem, dari eiusmodi potentiam in homine ad actus materiales appetendi, tum quia datur potētia sensitiva materialis, omne autem principium cognoscitiuum videtur exigere principium appetitiuum sibi proportionatum, & eiusdē ordinis: tum etiam, quia experientia probat per eiusmodi affectiones commoueri sanguinem, & alios humores, turbari temperamentum, & alia huiusmodi, quæ offendunt connexionem esse inter affectiones illas, & qualitates materiales, atq; adeo esse eiusdē ordinis, & non merè spirituales. Quamuis (inquam hoc verum existimem), nō tamen cenfeo, esse rem, quæ ad fidei dogmata pertineat. Ad fidem enim, & Scripturam tuendam sufficit concedere in Christo eas omnes potētiās, & affectiones, quæ reperiuntur in aliis hominibus, quæcūque illæ sint & appetitum etiam materiale eo modo, quo est in aliis hominibus.

Circa has passiones admonent theologi cum S. Thoma

2
Dogma fidei.

Leo I.

VI. Synod.
Damascen.
Cyrill.

3